Antonius
Poltanski Albert. Joach. Processus trinae instantiae.

PROCESSUS
Trinæ Inſtantiæ
Præcelſi Generis, Eruditæ Virtutis ac Meritorum.
PERILLUSTRIS CLARISSIMI & Admodùm REVERENDI DOMINI,
M. ANTONII SARII
DE WILKOSZOWICE
WILKOSZOWSKI,
Juris Utriusq; LICENTIATI, Ecclesiarum Collegiatæ SS. OO. Crac: CANONICI, S. NICOLAI extra muros Crac: PRÆPOSITI, in Modlnica CURATI,
Domi foriſq;
AGITATUS.
Et dum in Perauguſto CC. DD. Juris Conſultorum Lectorio
à
MAGNIFICO PERILLUSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO
M. STANISLAO MAMCZYNSKI,
Utriusq; Juris DOCTORE & PROFESSORE ac Ejusdem Facultatis DECANO, Ecclesiarum Cathedralis Crac: CANONICO, Collegiatæ S. MICHAELIS in Arce Crac: DECANO, Parochialis in Smażowice Curato, Collegii Juridici SENIORE PATRE, Contubernii Juriſperitorum PROVISORE, Librorum per Diœceſim Crac: CENSORE, Canonizationis B. JOANNIS CANTII PROCURATORE, Universitatis Crac: PRO-CANCELLARIO & Generali RECTORE.
In frequentiſſima Magnorum Hoſpitum præſentia ritu ſolenni renuntiaretur Juris Utriuſq; DOCTOR
Ad Acta publica immortalis memoriæ
PER
M. ADALBERTUM JOACHIMUM FOLTANSKI,
Philoſophiæ DOCTOREM, Ejuſdemq; Regium ac Tylicianum Eloquentiæ PROFESSOREM, COLLEGAM MAJOREM, Eccleſiæ Collegiatæ S. ANNÆ Zielopolſcianum CANONICUM.
cum proteſtatione omnigenæ recognitionis
PORRECTUS.
Anno Domini 1760. *Die* 28 *Menſis Januarii.*

CRACOVIÆ Typis COLLEGII MAJORIS

11.

In Pervetuſtum Stemma
De SARIIS & WILKOSZOWICE
DOMUS WILKOSZOWIANÆ.



I

Aſtræam quærunt Cœli ſuper Axe SARISSÆ,
Divam devincunt, deſerit Aſtra Poli.

II.

Sidera fronte ferit tendens Capricornus in altum,
Reddat ut emerito præmia juſta Polus.

PROCESSUS
Primæ Inſtantiæ
Præcelſi Generis.

Titulô quôvis debitus alicui Honor
eſt pars vitæ melior,
quæ toties cum ſumma violentia tollitur,
quoties contra omnem Juris Utriusq; obloquentiam,
Unicuiq; quod ſuum eſt non redditur.
Lex jubet ipſius Naturæ,
ſvadent æquitatis jura,
à pacifica ſuæ hæreditatis poſſeſſione
abjudicari arceriq; debere neminem.
Magni Nominis ac Præcelſi Generis Hæredes,
Privilegiatæ ab erudita virtute Perſonæ,
Quavis in Spartha optimè meriti Viri,
ſunt jure ſuo quæſiti vel debiti Honoris,
ab immemorabili tempore uſq; hodie,
veri ac legitimi Poſſeſſores.
Etenim
Illorum eſt genuinum Patrimonium
quovis in loco Stalloq;
cum Authoritate Diſtinctio,
cum Prærogativa reverentia,
cum Sanguinis virtutis, ac meritorum privilegiis,
à turba communi ac plebe exemptio.
Et ideo
magnum fuiſſet præjudicium,
ſi in ſuo non ſervarentur robore,
quæ à venerabili anteacti ævi ſenio ſunt deciſa,
à præſenti ætate non ægre recepta

Per tot

Per tot Magiſtratuum ſubſellia confirmata,
& nunquam ad debitam executionem, non deducta.
Extra omnem Quæſtionem ſemper fuit
quorumvis Honorum his deberi Inſignia,
quos ab antiquo naturæ beneficium vulgo exemit,
auguſta virtus non uno munivit diplomate.
Sit licetſi in ipſo æquoris fundo unio
ſolicitè tamen vel quæritur, vel rapitur ad Coronam:
quia & nobilior Cælorum partus, & candore notabilis ipſo;
jaceant in littore non unius arenoſi fontis ignobiliores lapilli,
offenſioni ſunt, deſpiciuntur calcanturq́,
quia ſinè pretio, ac ſcabroſæ terræ progenies,
Fax eſt lucidiſſima Majorum innutrita Ceris
Splendor Natalium,
nefas eam ſub modio ponere.
Sol eſt intaminatis fulgens Honoribus,
Virtus & Eruditio
neſcit diu ſub nube latere.
Dat quosvis Cenſus Honores,
quem in Dotem ſuis Poſteris reliquerunt Majores.
Emitur omnis Virtute Poteſtas,
cujus inæſtimabiles opes ex animi colliguntur Bonis.
In argumentum cujusvis Præeminentiæ
ex diffuſo per Murices & Trabeas Sanguine,
uti recta fluit conſequentia;
ſic ex præmiſſis meritorum, neceſſariò infertur.
Utrumq; eſt in productis
Per Trinas de Te Inſtantias.
PERILLUSTRIS Juris Utriusq́
neò
D O C T O R,
Vectigales ſunt Pervetuſto Nomini Tuo Honores,
eruditæ verò Virtuti, ac Meritis debiti.
Ceſſerunt

Cesserunt Tibi in Dotem Antecessorum triumphi,
verùm & Tu Victor non unam retulisti palmam.
Sufficit aliis ad pompam Magnos fieri,
est Tibi plus quam ad gloriam,
& natum esse, & fieri Maximum,
ILLUSTRISSIMI ABORIGENES TUI
quibûs per Fasces & fastos refulgent Titulîs
illorum jure successionis Hæres es,
sed simul & proprii Honoris Author.
Hoc ut ex primo deducam Capite,
ad primam Præcelsi GENERIS recurro Instantiam.
Fons est omnis Splendoris ac cujusvis Præeminentiæ,
non obscura Natalium claritas,
cùm à Lucis non procedant tenebriones,
Sol non projiciat umbras, lucidæ parens diei.
Ab ipsis (si ita dicere fas est) Cunis,
quas vix non simul cum ipso Principe Planetarum sortitur,
sunt Cœli naturæq; beneficio inquilini,
Pervetustæ de SARIIS WILKOSZOVIANÆ DOMUI.
Illustrissimi æquè ac Serenissimi Titulorum Splendores.
Nempe
Charactere Regio hæc insignita PROSAPIA,
à Thronis & Soliis suam ducit procedentiam.
Ad inquisitionem ejus descendere, idem est,
quòd & caput investigare Nili,
quem nunquam parvum licuit videre.
Quærimus ut magnorum fluminum originem,
sic & diffusarum toto Orbe Familiarum principium;
Adeste huc, quibus anteacta sunt in ore sæcula,
quæ non una cæpta, agitata, factaq; sunt ætate,
non unius ævi dieiq; conscios requirunt testes.
Qui ante Hectora & Agamemnona vixere
in primis hìc Interrogatoriis responderent directè.
Si utar Vatum testimoniô,

 perve-

pervetustam DOMUM Hanc
dicam ipsis conterminam Diis
in qua si iterum possent, nascerentur terrestria Numina.
Quod Deorum, idem est & SARIORUM Insigne,
& vix non eadem res signata.
Non ne ipsis Superis sunt decori Sarissæ?
gestat non unam Apollo cum Pallade hastam,
armis his toties Mavors exterruit hostes.

Exinde liquet

pervetustam de SARIIS WILKOSZOWSCIORUM Domum
esse fæcundam à tot sæculis Matrem,
magnorum in Toga & Sago Virorum.
Berecynthiam illam nec incassum extra commenta dicerem,
quæ edidit ex se
Sceptriferos ad Solia Joves,
facundos ad Senatum Mercurios,
belligeros ad tentoria Gradivos.
Adhuc vix non tota nemus erat Polonia,
cùm Arbor hæc Consanguinitatis suas explicuerat frondes,
in Directrices populorum Virgas,
in Victrices Heroum Corymbos,
in Clavas, Scipiones, Securesquè.

Etenim

needū Sauromatæ coronatos in Paludamento adorabant Principes,
cùm SARII in *Gothorum* invictissimis Regibus (a)
dabant jura Gentibus,
in Primis *Britanniæ* Proceribus, (b)
serenissimis fulgebant Honoribus.
Adeo pervetusta est hæc Illustrissima SARIORUM Prosapia
ut etiam annalium transcendat memoriam (c)
Colligitur non nisi ex fide publica dignis fastorum monumentis
Genus hoc bellô insuperabile fuisse.

(a) *Parisius in Slavonia.* (b) *Petra Sancta.* (c) *Niesiecki tomo 2. fol: 427.*

Unum

Unum pro multis fama loquetur opus,
FLORIANI SARII
Arcis *Surdega*, & in *Maykowice* Hæredis,
ad quem, tot Pervetustæ in Polonia referunt originem Familiæ,
quot magni quovis in Subsellio dicuntur SARII.
Sedes Quorum fuerat *Palatinatus Siradiensis*,
nidus & domicilium ab antiquo Heroum.
Revolvitur jam sæculorum olympias,
ut Sarmaticus Hercules ille
non à sua æstimandus basi
VLADISLAUS LOCTICUS,
contra recrudescentem toties Crucigerorum processit Hydram.
Secutus magnanimum Ducem FLORIANUS,
Qui dum pro Aris & Focis decertat strenuè,
non uno cuspidis perfoditur ictu
Achillis hasta vulnerando sanabat,
Causavit immortalem Nominis famã FLORIANO
dum illi inflixit cicatrices hostilis manus.
Felicior Antheô hic fuit in Eo casus,
à quo hic invictæ fortitudinis Heros
& contra vicinum hostem surrexit fortior,
& prima Illustrissimæ SARIORUM Domus jecit fundamenta.
Meruit nova à Principe VLADISLAO Arma,
quæ à se descendentibus reliquit Posteris.
Et hic est suo tinctus rubicone Fons,
ex quo, quid quid profluxit,
est vel Purpura vel Murex.
Hæc est prima Diis Patriis oblata victima,
quæ hucusq; in Ara consecratur Honoris.
Vix enim superest in Sarmatia Dignitas
cujus supremum culmen non attingant Sarissæ
Ad quodcunq; Eminentiæ perveniunt punctum,
ubiq; perennis famæ relinqunt vestigia.

Alias
Hæc pervetuſta SARIORUN Domus,
tot per Faſces & Faſtos numerat Proceres,
quot maximos quôvis ævô recenſet Statores,
quos Senatoriæ excepere Curules,
Pontificiæ ornârunt Infulæ,
ac quorumvis Magiſtratuum publica munera,
ex utroq; habuere Cæſares.
Ne ad ſingularum è SARIIS Familiarum deſcenderem ſtipitem,
hoc ex connexione Sanguinis deducendum duxi,
quòd, quis adorat Arte Marteq; celeberrimos.
Patres Patriæ æquè ac Conſos prudentiſſimos,
Boni Communis, Fidei, Legumq; Defenſores ſtrenuiſſimos,
Literarum ac Literatorum Protectores zeloſiſſimos,
ZAMOYSCIOS, TARNOVIOS,
SIELNICCIOS, DABROVIOS,
KOBIELSCIOS, &c:
neceſſe eſt ut adoret & WILKOSZOWSCIOS.
Tot & tantis pervetuſtis FAMILIIS,
eadem eſt fuitq; Cognatio,
quantumvis diſpar Nomen,
Idem eſt primum omnium Caput,
eadem cum ARMIS Gentilitiis ornamenta.
Emanat in alteram DOMUM,
quid quid præcelſum in alia depoſuit Genus,
ac non vulgaria cum præcelſo Genere locavere merita.
Meretur plures laudis etiam poſt fata adoreas,
Illuſtriſſimus olim ac Excellentiſſimus Dominus
STANISLAUS SARIVS *de Wilkoßowice*,
W I L K O S Z O W S K I,
CASTELLANUS RAVENSIS,
Tuus PROAVUS Digniſſimus,
PER-

PERILLUSTRIS neô DOCTOR.
Intulit Ille tot *Palatinatui Cracoviensi* Decora
quot ex ANNA PINIAZKOWA,
CASTELLANIDE Zakrocimensi,
reliquit inæstimabiles Virorum gemmas,
SAMUELEM, CHRISTOPHORUM,
JOANNEM, ANDREAM, GEORGIUM,
& ALEXANDRUM
WILKOSZOWSCIOS,
sui Nominis virtutisq; veros Successores,
Non immemor excelsæ Stirpis SAMUEL,
in *Przenoßa Karczmy* & *Glince* Hæres,
Sacræ Regiæ Majestatis ita egit COLONELLUM,
ut omnes proprii muneris adimplevisset partes,
extiteritq; Regum delicium, hostiumq; terror.
Huic Epaminondæ cessit in vitæ Sociam,
ALEXANDRA de *Widawsciis*
re & nomine Orbis Poloni Heroina,
ex qua luci publicæ editus ADAMUS,
in heræditatem acquisitorum Bonorum *Lipowczyce* successit,
junxitq; sibi connubiali fædere,
MARIANNAM de Illustrissima STAWSCIORUM Domo,
de Regibus & Republica optimè meritorum.
SAMUELIS, VENCESLAI
Dignissimam Matrem.
Qui licetsi decesserunt steriles,
non tamen sine relicta suorum meritorum fruge.
Ex eodem alti Sanguinis Mari Unio
ad binam Fratrum accedit coronam MARIANNA,
primô votô
FRANCISCI KUNICKI Ravensis CASTELLANI
C votô

votô secundô,
RUSSOCCII Zathoriensis VEXILLIFERI.
Dotum multarum CONSORS Lectissima,
in qua virtus & natura propria concluserunt dona.
Orbis Poloni Atlantis CHRISTOPHORI,
ENSIFERI Ducatuũ Osviecimensis & Zathoriensis
in *Komorniki* cum *attinentiis* hæreditarii DOMINI,
pro Ecclesia & Patria Merita
in hac exigua non enumero pagina;
hîs plena sunt annalium volumina.
Nulla quippe poterit abolere vetustas
immortalem Ejus Nominis gloriam
quam in Martis arena sanguineo comparavit sudore,
ac Stylô ferreô receptis de hostibus insculpsit trophæis
Contra *Sveticum* pugnando Leonem
Sarmaticum se monstravit Herculem,
Satis nota sunt & illa Decora
quæ cum SOPHIA ZBOROWSKA Consorte sua
in illustrissimam WILKOSZOWSCIORUM intulit Domum.
De lumbis suis quos non reliquit Posteros,
dedit hos in fulcra Patriæ, decusq; Ecclesiæ
Illustris ac Magnificus Dominus
JOANNES de Wilkoszowice WILKOSZOWSKI
Arcis Cracoviensis BURGRABIUS,
Bonorum *Wola* & *Skrzylna* divisione cessorum,
ac Sortis Sobakowek & Łęki acquisitæ,
jure hæreditario POSSESSOR,
AVUS Tuus omni exceptione major,
PERILLUSTRIS neô DOCTOR.
Qui cum SOPHIA WILKOBUCKA
præter STANISLAUM ex MAGDALENA BRZEZINSKA,
FRANCISCI in Sago fortissimi Herois,
CUNEGUNDIS Consortis ANTONII PIOTROWSKI,
MARI-

MARIANNÆ ANDREÆ GADOMSKI
Matrimoniali fœdere junctæ Patrem:
præter CHRISTOPHORUM heroicarum virtutum exemplar,
morum ac probitatis protypum;
præter ALEXANDRAM, FRANCISCAM & ANNAM,
Illustrium ac Magnificorum Dominorum,
ANDREÆ WIERNEK, STANISLAI BUKOWIECKI,
JOANNIS CHRONOWSKI *Consortes*,
& Magnorum Virorum
nunquam satis deprædicandas *Matres*:
dum JOANNEM CASIMIRUM
Tuum PARENTEM Dignissimum,
in tot Stirpium, Familiarumq;,
Caput, Decus ac Ornamentum substituit,
felici eventu vota coronavit Patriæ.
Omnibûs Titulîs major JOANNES,
plus sibi duxit ad gloriam,
quorumvis Honorum gradus meruisse, quàm possedisse.
Ad perennem Magni Nominis famam,
Si Ei non accessisset plurimum ex JOSEPHO,
Ecclesiarum Collegiatæ *Sandecensis* CANONICO
Parochialis in *Gora* S. JOANNIS CURATO
Tuo Germano FRATRE
Sufficeres vel ipse solus ad tanti æstimationem PARENTIS
PERILLUSTRIS neċ DOCTOR;
Cujus virtutem, eruditionem & Merita,
per ulteriores de TE prosequar *Instantias*.
Es Orbi Polono Paterno de Sanguine clarus,
sed & Materni Splendores reddunt Te Illustrissimum.
Ex BARBARA de *Młodzieiowice* UŁANOWSKA
PARENTE Tua omnî ævô æstimatissima,
illa omnia in Te redundant Decora;
quibûs Ecclesiam & Patriam exornârunt,
nobiliori à me notandi lapillô ULANOVII.

Hos ad calculum non reduco Oratorium,
Quorum magnitudinem qui vult metiri?
ſumat menſuram, ut ex Generis celſitudine,
ſic & Meritorum per tot Functiones amplitudine.
de *Materna linea* Tui AVUNCULI,
Perilluſtris & Reverendiſſimi Domini,
JOSEPHI *de Młodzieiowice* UŁANOWSKI
CELSISSIMI Primiq; PRINCIPIS
Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini
STANISLAI *in Słupow* SZEMBEK,
ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS.
CRUCIFERI ac Bonorum Primatialium COMMISSARII,
Eccleſiarum Cathedralium,
Gneſnenſis, Poſnanienſisq; CANONICI,
COADJUTORIS *Cracovienſis,*
Parochialium
in *Skrzydlna* WILKOSZOWSCIORUM hæreditariæ Sortis
C U R A T I,
Bobovienſis, Czeſczovienſis, Małogoſtenſis
P R Æ P O S I T I.
Hic ex uterina procedendo SORORE,
cum Celſiſſimo STANISLAO ARCHIPRÆSULE,
ac ANTISTITE PRINCIPEq; *Varmienſi* CHRISTOPHORO
S Z E M B E C I I S,
Orbis Europæi luminibus & columinibus,
In Pervetuſtam WILKOSZOWSCIORUM Domum,
Primatiales Cruces,
Infulas, Mitras, ac Purpuras intulerat.
Nullô ſunt delebilia ævô,
pro fide & Religione Ejus dicta factaq;,
ſed & ipſa Generalis hæc REGNI SCHOLA.
Illi plurimum cum æviterna recognitione debet;

Qui

Qui non solùm pro Canonizatione B. JOANNIS CANTII
uti ejusdem *Patris Matrisq;* non degener Filius
& suâ suiq; PRINCIPALIS munificentiâ.
contribuit plurimum,
sed & pro reparatione Theologici Lectorii
non modica erogavit in Musas Jagellonicas liberalissimus.

Et ideo,

quousq; Academicus dabit Responsa Apollo,
huculq; suis Mecænatibus non deerunt Marones.
Sunt pars WILKOSZOWIANÆ DOMUS
& SAMUEL cum MICHAELE,
in Młodzieiowice Hæredes
aliiq; satis nunquam deprædicandi UŁANOVII
quos cum cultu sera repetet posteritas.
& venturam ætatem informabit.
Auget DOMUS Tuæ Illustrissimæ Splendorem,
Sexus sui ornamentum,
ac omnis probitatis compendium.
veriorq; Pandora ANNA de WILKOSZOWSCIIS,
Illustris ac Magnifici Domini
FELICIANI SWIĘCICKI,
VICE-CAPITANEI & JUDICIS Petricoviensis
vitæ, honoris, ac meritorum Socia,
in Qua, forma cum virtute
virtus cum forma
raram miramq; alibi, ostendit sympathiam.
Facta est hæc Juno vix non Deorum Mater,
dum immortalis memoriæ Virorum,
STANISLAI, SUBJUDICIS terrestris Cracoviensis
JOSEPHI CAMERARII Bielscensis,
& BURGRABII Cracoviensis,
ANDREÆ NOTARII Radomiensis,
ADALBERTI SUBDAPIFERI Ravensis.

D Quos

Quos ad præſens adorat ætas,
& ventura ſæcula debito excipient cultu.
Sunt illi omnî memorandi ævô,
qui non una videnda, legendaq; egerunt luce.
In utroq; Foro, quot quot ſunt Areopagi,
habuere ex SWIĘCICCIIS Judices & Arbitros.
In Eccleſia & Patria,
quot quot ſunt diſtinctæ Functiones,
non defuere SWIĘCICCII ad earum partes adimplendas.
Legimus ex Scriptura
quòd juſtitia & pax oſculatæ ſunt?
feliciter FELICIANUS dirimebat lites,
juſtè ſceleri pœnam, virtuti ſtatuendo præmium,
hoc ut experti poſſunt dicere,
ſic & Acta PETRICOVIÆ authenticè probare.
Eſto univerſi judicium Orbis,
quid? quæ, & quanta debeat.
& reliquis SWIĘCICCIIS
Fides, Leges, & hæc Patria.
Non allego plura Documenta
WILKOSZOWSCIANÆ DOMUS,
manifeſta ſunt & expreſsè patetica
ergo nulla probatione indigent.
Si ad primam evocabuntur Inſtantiam,
ANDREAS in *Suffczyn* & *Tropie*,
GEORGIUS medietatis *Skrzylna*,
Dobrocieſſ ac *Diaſſkow*,
ALEXANDER itidem in *Skrzylna*,
STANISLAUS *in Lipnik*,
ANDREAS, FRANCISCUS, JOSEPHUS,
ab Avis Atavisq; acquiſitorum Bonorum Hæredes.
De Sariis & Wilkſſowice,
WILKOSZOWSCII:
ſi non excipientur, omni exceptione majores,
ANNA

ANNA, JOANNIS KALINOWSKI,
CHRISTIANA ALBERTI ZAKRZEWSKI,
Bini Nominis ANNA & MARIANNA
JACOBI ZABORSKI
Dignissimæ CONSORTES,
totq; Heroum MATRES,
quot pro nativa Troja Hectores recensemus,
ex pervetusta WILKOSZOWSCIORUM DOMO,
celeberrimis in Orbe Polono cognata, junctaq;,
FAMILIIS & NOMINIBUS.
Fieret totum ex illis agmen,
& ingens legendum sæculis volumen.
Quid si per interventionem sisterent?
ex connexione ac necessitudine affinitatis,
præter superius enumeratos,
RVPNIEWSCII, KVNICCII,
BŁESZYNSCII, WOLSCYI,
ZAKRZEWSCCII, ZBOROWSCII,
PODCZASCII, RVSSOCCII,
OTTWINOWSCII, DĘBINSCII,
BRZEZINSCII, CHWALIBOGII,
ROGOYSCII, GŁĘBOCCII,
WAXMANORVM & aliorum Nomina.
quæ idem est numerare quod sidera Cæli,
& lucentia, & in hæc inferiora influentia.
Si ab inferiori valet consequentia, ad superius,
quæ dicta sunt de SARIIS ac Eorum procedentia,
si non majora, certè œqualia inferenda sunt
de Kozlarogiis,
à quibus Pervetusta SARIORUM Domus,
hoc in Regno suam primò ducit originem.
Nec frustra ponitur super trinas in Stemmate SARISSAS,

 perve-

pervetuftæ de *Sariis* WILKOSZOWIANÆ DOMUS,
idem fecundùm proportionem cum Cœlo Infigne,
Avitum *Kozlarogiorum* Decus, *Capricornus*,
Idem quod & Cælorum Signum eft,
tunc à Polo dicta refulfit in Polonia,
cùm necdum Sereniffimos in Throno colebat Soles,
Equitum Haftas, transformabat in Sceptra,
ligones in Secures, Clavas, ac Scipiones, transmutabat.
Quod debent LECHO primo Plafmatori Sauromatæ,
hoc & Comiti *in Cieſʃow Kozlarogio*, Cooperatori,
qui vel ideo prope *Gnefnam* munitiffimam extruxerat Arcem, (*d*)
ut fuiffet neò dictæ à campo Genti propugnaculum.
Quæ CRACUS, PRÆMISLAUS & ZEMOVITUS gefferat, (*e*)
qui fub VLADISLAO Audace,
ac KRYWOUSTO, funt recepti triumphi,
factum eft hoc omne, fed non fine concurrentibus *Kozlarogiis*,
A Summo Pontifice LUCIO confecratus (*f*)
ZDISLAUS *Kozlarogius* Gnefnenfis ARCHI-EPISCOPUS,
Orbis univerfi, & Urbis de fe nactus eft judicium.
Si aliquando innuere hæc quæ nota funt fufficit,
de hac FAMILIA, Faftis & annalibus, relinquo narranda.
Igitur
ducit fibi honori, Cæleftis in terris Aftræa,
quòd gladio Ejus Gentilitias conjungis SARISSAS.
Augent & exornant Juris Utriusq; Titulos,
ANTECESSORUM Tuorum Titulorum Tituli.
Pervetuftas Avorum Atavorumq; Imagines,
in Ara Doctoralis Honoris Diva appendit Themis,
ex quibus Te vivum intuetur exemplar,
Cui qui & quanti ab erudita virtute accefferunt colores;
in fecunda, pace Tua producam Inftantia.

(*d*) *Dlugoffius, Herburtus, Bierkovius, &c: in fuis Tomis.* (*e*) *Temberfki ex fcriptis geftorum Europæ.* (*f*) *circa Annum 1172. ut videre eft in ejus Proceffu, vitæ & honoris.*

PRO

PROCESSUS
Secundæ Instantiæ
Eruditæ Virtutis.

Nobilissimus sunt Divorum Cœlorumq; partus,
raro nexu juncta eruditioni Virtus,
quia juxta deposita, ac relicta Pòëtarum testimonia,
hæc de pectore, illa de cerebro Jovis editæ
illis omni jure in terris debentur Honores.
Commune adagium est,
quòd sicut umbra sequitur Solem,
sic & virtutem concomitatur Honor.
Non facit gratiam sed reddit debitum,
quisquis eruditam honorat Virtutem.
Si ex Bonis naturæ repetitur capitalis Summa Honoris,
ut in prima decisum Instantia;
quæ non sunt sterilia animi Bona,
videmus illa non uno aggravata esse Honore,
qui continua teste experientia est onus.
Æstimamus ex se licet si in concha gemmam,
sed auro inclusam appretiamus magis.
Est unicuiq; suum à natura pretium virtuti,
cui si etiam ab arte accedat expolitio,
quoties ad Lydium universi vocatur Orbis,
toties majori digna valore judicatur.
Non potest in dubium vocari
in hac Secunda Processûs Tui Instantia,
PERILLUSTRIS neò DOCTOR;
sit ne in TE cum eruditione virtus,
cum virtute eruditio.
Virtutis laus omnis in actione consistit. (g)

(g) *Cicero l. 1. de Off:*

Ex bene-

Ex beneplacito Superûm acceptis talentis,
quot? & quæ lucratus es?
Illi optimè notum Remuneratori,
Qui juxta meritorum mensuram unicuiq; reddet mercedem.
Juvenile non in otio transegisti ævum,
Primo laborâsti in vere,
quod esse in autumno voluisti.
Florida omni bonorum germine ætas,
quos ex multorum illatione portendebat fructus,
dedit hos necdum decrepita senectus,
ad satisfactionem & approbationem omnium.
Ille animi sine cerussa candor,
sine fuco cordis simplicitas,
cujus adhuc in *tabula rasa*, formabantur characteres,
nunc in TE elucet;
Qui nulli per simulationem struxisti dolos,
nullas unquam quæsivisti semitas,
primum cùm movisti passum, ibas
quà ad virtutem & eruditionem est eundum,
publicâ scilicet sine effugiis viâ,
recti æquiq, semper amantissimus.
Spectatur fervens erga DEUM pietas,
quæ adhuc ab ipsis egregiæ indolis igniculis prominebat,
Quâ ubiq, excellis prudentiâ,
fuerunt illius semina & indicia,
cùm adhuc tunc, dum per ætatem Directore egebas
juxta regulas virtutis,
TE Ipsum & alios dirigebas.
Est suum ubiq; virtuti theatrum (h)
Quid lyra? quæ reticet, vel qui non tenditur arcus, (i)
Ut explicueris informaverisq; publicè,
quæ Tibi concredita fuerunt Deposita,
à Præcelso Genere, innataq; bonitate,

(h) *P. Bened: in Inful: Crac:* (i) *Lucanus de Cons: Hon:*

publicam

publicam REGNI petiisti SCHOLAM,
UNIVERSITATEM CRACOVIENSEM.
Te & JOSEPHUM Fratrem
magnæ ſpei & expectationis Viros,
cum quanto exceperit plauſu?
hæc ſcientiarum alma MATER,
ille non niſi informare poterit,
qui Perilluſtrem & Reverendiſſimum Dominum
JOSEPHUM UŁANOWSKI Veſtrum Avunculum noverat;
& quomodo de Academicis fuerit meritus Muſis
etiam in prima hujus Proceſſus legerit Inſtantia
A Quo recommendati
In hoc Literarum Regno Sceptra tenenti,
Magnifico olim PROFECKI.
in Claſſibus Novodvorſcianis PROVISORI,
Perilluſtri olim OSLINSKI,
à Tantis in Republica Patribus,
& cordis & oris expreſſionem meruiſtis.
Nec ſolùm ab his rerum Academicarum Statoribꝰ,
verùm & ab aliis Gentis Togatæ Proceribus,
de Eccleſia & Literis meritiſſimis
Perilluſtribus olim & Reverendiſſimis Dominis,
EKART, JODLOWSKI, LUKINI, &c:
cæteriſq; ampliſſimis Academicis Ordinibus,
manifeſta æſtimationis Veſtræ obſervâſtis ſigna.
Nec potuiſtis ſine ejuſmodi teſtimonio recipi,
etenim ad ejus publicam manifeſtationem tenebatur,
Illuſtriſſimæ SZEMBECIORM & UŁANOVIORUM Domuî
devinctiſſimus ab antiquo Academicus Apollo.
Ægrè ferunt Ludo Literario dare operam Viri,
ducuntq; acſi dedecori lacte lactari Minervæ.
Stetiſti in Scholaſtico limine, ſed non puer,
admoviſti os eruditis fontibus, ſed non infans,
procedebas per ſcientiarum gradus, ſed non levi paſſu.

E2 Placuit

Placuit Tibi in maturiori ævo,
humanioribus incumbere ſtudiis,
ut oſtendiſſes omnem ætatis gradum,
eſſe Literarum ac in Literis Honorum capacem.
Ante quinque annorum luſtra cepiſti ea,
quæ decent veteranos ſenes.
Ad Proceſſum in Tuis ſcientiis non deſcendo
Sufficiunt ad omnimodam probationem,
quæ ex ore Digniſſimorum PROFESSORUM Tuorum,
JASTRZEBSCII, ANDLIKIEWICZII, PAŁASZOWII,
vel dicta ſunt, vel poſteritati de Te dicenda relicta.
Debueras in Palladis arena victor fuiſſe,
dum per quævis ſtudiorum decurrendo olympia,
in Philoſophia & Artibus Liberalibus,
utramq; cum ſummo applauſu recepiſti Lauream.
quam verè ſanguineo nutriebas ſudore,
in ſtatione Academica, nunquam ſtationarius.
Adimpleviſti, ad quod vocatus fueras, tui muneris partes,
Non ſolùm PROFESSOR ſed & DOCTOR.
Quotquot ſunt Eccleſiæ Patriæq; Numæ & Achilles,
LVBOMIRSCII, SANGVZSCII,
SZEMBECII, MAŁACHOVII,
SIERAKOVII, ŁVBIENSCII,
WODZICCII, DVNINII, GOROWSCII,
SOŁTYKII, CIENSCII,
RVPNIEWSCII, LIPSCII,
BŁESZYNSCII, OTTWINOWSCII,
RVSOCCII, GRANOWSCII,
OGIENSCII, STRVSSII,
ŁETOWSCII, DABROWSCII,
MORSZTINII, MOSZCZYNSCII,
BRONI-

BRONIKOVII, unà cum procedentibus
de Illuſtriſſima SOŁOHVBORVM
CZYRNORVMq; Domo,
plus quàm ter centum Fabiis,
privatæ ac publicæ educationi
Tibi celeberrimo ubiq; Pædagogo, commiſſis.
Ex eorum in utroq; Stallo oraculis,
inferunt Te Apollinem ſinguli,
ex laudabilibus geſtis & muneribus,
illum Te omnes agnoſcunt Magiſtrum,
qui non ſolùm ore ſed & opere inſtruebas.
Exornant alii Ecclcſiaſticas Cathedras,
alii pro Patria fortia agunt,
ad Te ex vi mutuæ relationis totum refertur.
Ultra quinquennium
in Claſſibus Novodvorſcianis ſeduliſſimus Profeſſor,
ad optatæ ſpei promontorium deduxiſti plurimos,
quos nunc ad Clavum Reipublicæ ſpectamus cedentes.
Publica fuêre Archi- Lycæa,
omnis eruditionis, diſciplinæ ac probitatis,
illa, quibus præfuiſti & profuiſti CONTUBERNIA
& viribus, & propriis non parcendo ſumptibus.
Plures prodiêre ex illis ad Cathedras Doctores,
ad conſilia Fabii,
quàm è Schola Platonis,
ad Stoam & Peripatum Ariſtoteles.
In hac Regni Metropoli.
quot quot ſunt Sacrarum Religionum Familiæ,
plurima debent Tibi Subjecta,
quibûs, & quosvis replêſti Magiſtratus.
Contubernii *Geloniani* quatuor annîs SENIOR.
quæ ad emolumentum Academicæ Juventutis feceras.
Si non conſtaret ex atteſtatione de Te,
immortalis memoriæ MARKIEVII.

F PROVI-

PROVISORIS prudentissimi ac dignissimi,
convinceretur ex magno sensu judicioq;
Perillustrium olim & Reverendissimorum Dominorum
JOANNIS LUKINI & KOLENDOWICZ,
Qui Te & ad sua expetierunt Contubernia.
Philosophorum sex annorum spatiô,
Regio-Jagellonianum duobûs regendo lustrîs,
Tuæ in regimine prudentiæ,
in educando solertiæ,
& dedisti, & reliquisti præcepta.
Serenissimo ac Clementissimo Domino,
nunc nobis feliciter regnanti,
A V G V S T O III.
Salutatorios cum Juventute Academica,
dum reddebas exsolvebasq; plausus,
non solùm Principibus complacuisti Viris,
sed & ipsis Majestatibus.
Infertur non ex uno eruditæ mentis partu,
quem concredidisti Orbi,
Tuum fætum esse docta Pallade Caput.
Ilias est,
elegantioris styli ac politioris literaturæ,
ad ingressum in sui Cathedram,
Eminentissimi CARDINALIS,
Celsissimi PRINCIPIS
Illustrissimi, Excellentissimi, & Reverendissimi D.
JOANNIS, ALEXANDRI
in Lipe
L I P S K I,
Cracoviensis EPISCOPI
Universitatis nostræ CANCELLARII faventissimi.
rarô, illoq; non exigui laboris artificiô,
luci publicæ expositum,

Volu-

Volumen Panegyricum,
quod dum Nobilissimæ Juventutis Nomine,
Huic Magno dedicâsti PRINCIPI,
pro Domo Ejus plures reliquisti Plinios.
Et Divos CÆLITES,
Si non Ipse deprædicando extollebas toties,
tunc celeberrimos dabas Præcones, sæpius,
In Sacris Divæ Annæ Ædibus,
pro Laudibus D. PATRIARCHÆ CANTII,
geminatis vicibûs conscendisti Rostra,
& ad Rostra
perfectos, quia in ternione effecisti Oratores.
In stellifero Carmeli Monte,
lustrô integrô Oratoria resplendebant lumina
quæ in honorem DD. MAGDALENÆ de Pazis accendendo,
erga Cælites Flaminium Te ostendisti,
& ab his etiam non unam promeruisti coronam.
Habuit in Classibus Novodvorscianis Juventus,
Te Gubernatorem peritissimum,
cui ne tam in Æquore Scholastico,
quàm etiam in hoc Mari procelloso
aliquod eveniret naufragium
est à Te inter primæ Magnitudinis sidera
Illustrissimæ WODZICCIORUM DOMUS,
typographicis columnîs collocata
lucidissima PHAROS
Ignibûs Divini amoris
ad portum salutis æternæ prælucens,
CHRISTUS SALVATOR
in umbris scenicis
REPRÆSENTATUS.
Non solùm ad amorem Sapientiæ
studentium inflammabas mentes,
sed & ad fervidam erga DEUM pietatem
aliasq; virtutes accendebas.

Quod docebas ore,hoc ostendebas exemplô,
omnium probitatum universale prædicatum.
si descendissent ipsi Catones,
vel livido dente rabidi Aristarchi,
non invenissent in Te
quod sub crisim vocarent.
Refulgent in Te ut Sol in Cœlo,
mira in rebus prudentia,
circumspecta in agendo maturitas,
sine fastu in dicendo gravitas,
in docendo cum claritate soliditas,
in decidendo juris utriusq; peritia,
in dandis consiliis solertia,
in promovendo cultu Divino zelus,
erga Literarum Bonum commune, amor,
erga omnes, Sinceritas,
nullaq; est cum virtute scientia
cujus longo usu non sis factus Possessor.
Plura forent de Tua erudita virtute dicenda
PERILLUSTRIS neò DOCTOR,
sed excelsæ sunt in Te animi dotes,
linguâ & ingeniô attingi nequeunt.
Ingrederis igitur Capitolium Juridici Honoris,
per Templum eruditæ virtutis
ad quod & durus labor fecit Appiam.
Per omnes in Scientiis Gradus
Doctoralem in Utroq; Jure ascendis Cathedram,
nam nôsti, sic procedere, esse honorificum.
Produxit jam tot documenta
publicæ luci erudita virtus,
unde ei nulla invia ad Honorem via.
Instant ultimò & Merita,
ut ad mensuram eorum detur Tibi Portio Honoris.

PRO-

PROCESSUS
Tertiæ Instantiæ
Magnorum Meritorum.

Dari præmium ob res præclarissimas (k)
omnium Gentium decrevit consensus,
statuit Caput Orbis & Urbium Roma
Colossos & Pyramides, erigendas his,
qui vel cum dispendio vitæ certârunt pro Patria,
vel suis eam domi forisq; exornârunt meritis.
Relatus inter Astra domitor monstrorum Hercules,
quia Erymantheos Apros, Lerneas Hydras,
Nemeôsq; non timuit, imò vicit Leones.
Non sufficit una Theageni corona,
quia & una ad victoriam non suffecerat pugna.
Dura Alpium fregit juga Annibal,
salsoq; conspersit sudore,
& ideo collegit gammas ad annulos,
quos ad Portas Romanas,
mensurabat modiô.
Recipis in Utroq; Jure Doctoralem Lauream,
PERILLUSTRIS neò DOCTOR.
quia illam tot eruditis laboribûs meruisti,
est hæc eò pulchrior Nomini Tuo adorea
quò acriùs pro illa decertâsti.
Stagyritica Arena
fuit Tuæ gloriæ campus,
in quo & eruditæ virtutis reliquisti vestigia,
& de hoste ignorantia erexisti trophæa.

(k) *Aristoteles l. 4. Ethic. c. 3.*

Coalescebant Tibi in Olympum
excitati Scholastici pulveres,
quos eruditionis Tuæ jubar in altum levabat.
Et ideo,
Decanalis Purpura,
Tuos vestiit lacertos,
utpote in certaminibus Philosophicis emeritos.
Abiêre Tibi in plausus, Doctorum Cathedræ,
quas mentis altitudine attollebas.
Prævii fuêre ad coronam circuli,
quos maturô formabas judició.
Intendebas quovis tempore,
ut Jagellonicæ Palladi digna accumulâsses subjecta,
sed præcipuè sedulam adhibuisti operam,
factus Artistarum PRINCEPS
Vnde
hos alliciebas cordis expressione,
illos etiam benefica ducebas manu.
Plures sunt in hac Regni Schola,
Qui suas debent Tibi Laureas,
cum Laureis etiam Statum.
In Circulo Cracoviensi B.V. MARIÆ
Annis duodecem
Radiminscianus PÆNITENTIARIUS,
Possidebas vel ideo hoc sacrum Tribunal,
ut lites inter DEUM & homines dirimeres,
transactionesq; faceres adjuvante illa Domina
cujus privilegium est,
ut per Illam scelesti Cœlestibus uniantur.
Junxisti Judicem Patri,
rigorem clementiæ,
ad veniam promptior, quàm ad pænam.
Qui

Qui à via Mandatorum DEI deviârunt,
hos ſvaviſſimis admonitionibûs
ſalutaribûs monitîs,
ac inſignis pietatis exemplîs,
in rectam, quæ ducit ad Aſtra reducebas ſemitam.
Obdurata emolliebas pectora,
& ad fundendas lachrymas commovebas.
In Oratorio Novodvorſciano,
Illuſtriſſimæ Juventutis
undecim annorum ſpatiô,
CAPELLANUS ac conſcientiæ ARBITER,
continuò Myſtes litando ad Aras,
Immortali DEO
cum Agni Immaculati victima,
cor immolabas contritum,
ut efficeres & Tibi placabilem,
& Academicæ Juventuti ad vota facilem.
Theſauri Oratorii DISPENSATOR,
illum auxiſti non modicè,
dum multa eidem intuliſti liberaliter.
Pro Immaculatæ Virginis Honore,
fuiſti zeloſiſſimus,
Cujus Sacra præcipuè Solennia,
ut celebrarentur quàm ſolenniſſimè,
dabas & Ipſe operæ pretium.
Ex Tua vitæ integritate, morumq; innocentia,
legendos omni ævo deſumebant characteres,
teneriores Anchiſæ,
quos in raſam ſui tabulam transferebant.
Multos erudiebas, quavis in arte peritus
non ſolum ad ſapientiam, ſed & juſtitiam
decuit ut Divæ Themidis inhabitares Auguſtale.
Admotus es ergo Juridico COLLEGIO,

 ur Athe-

ut Atheniensium Areopago Aristides,
uterq; æqui rectiq; observantissimus.
Ægrè Te dimisit Minus Collegium,
utpote si non majorem,
tunc parem quibusvis Magnis Viris,
Genere, eruditione, virtute, ac meritis,
Hoc in Te videndo,
Mater Scientiarum UNIVERSITAS hæc,
unanimi voce, omniumq; exoptatô votô,
commisit Tibi regimen,
Lubransciana in Majori Polonia Academiæ,
Quæ pro Bono Coloniæ Illius egisti,
sæculis memoranda relinquo.
Nefas atrô notare calculô,
intaminatum erga Musas Academicas candorem,
quarum honorem (ut Tibi innatum) dilexisti.
Excoluisti ea sedulâ operâ,
quæ erant excolenda;
Cujus curâ ac solicitudine
tulit fructus honoris & honestatis
Lubransciana Pinus.
Effecisti florentissimas Majoris Poloniæ Athenas,
& non unam gratitudinis herbam meruisti.
Centoculum Te ostendisti Argum
ubi erant prævidenda futura,
& ubi præsentia perspectione egebant,
lumen Tuæ prudentiæ præmisisti.
Ibant suo ordine Scholarum cursus,
dum calcar & stimulum addebas,
dum & debitus laborantibus non defuit census
& non defuêre debita emeritæ virtuti præmia.
Nulla in hac Spartha fuit Tibi hora,
quæ non fuisset mensura impensi expensiq;
ex Bonis

ex Bonis animi, ac fortunæ,
in publicam utilitatem
quam præfers & prætulisti,
utilitati privatæ,
nunquam de condigno appretiandi laboris.
Peraugusti illius Ecclesiæ Cathedralis Proceres,
Primaq; Capituli Infulata Infulandaq; Capita,
quos de Te & Magno Tuo Nomine habuere sensus,
ex gravissimo judicio
PRINCIPIS Celsissimi DUCIS *in Klewan & Zukow*,
THEODORI CZARTORYSKI.
Illustrissimi & Reverendissimi Domini
THADÆI *de Kierz*, KIERSKI, *Bolinensis*,
JOSEPHI *de Werbno* PAWŁOWSKI *Niochensis*,
Magnorum ANTISTITUM, maximè liquet.
Constat & ex affectu ac æstimatione,
Perillustrium & Reverendissimorum,
MYSZKOVII, MIASKOVII, SWINARSCII,
DABROVII, &c.
quibus corculum fueras.
Præterea,
multorum Principum ac Magnatum
possedisti corda in illa Majorica,
Quâ prudentiâ, illud peregisti Regimen,
inter oculatos testes me ipsum habes.
Pro Literarum augmento,
& propriis non parcebas viribus.
Qui & Scholarũ pulchro ordine disponebas Classes,
& Classium Gubernatoribus,
beneficiorum spirabas ethesias.
Divinissimi Patriarchæ nostri auxisti honorem,
ac totius UNIVERSITATIS explicuisti Decora,
dum in laudem B. JOANNIS CANTII
H cum

cum allegatione Privilegiorum monimentorumq;
typis mandandæ Panegyris,
gratiosissimus fuisti Mecænas.
Literariam supellectilem
dum reliquisti in Illius Coloniæ Typographia,
non unos pro Domo Tua fecisti,
licetsi mutos, facundos Magistros.
Consistorii Generalis Synodalis ASSESSOR,
ac per Diœcesim Librorum CENSOR,
proscripsisti errores,
justa virtuti adscripsisti præmia.
Licetsi stricto affectuum nexu
à tot Majoris Poloniæ tenebaris Proceribus,
rediisti tamen ad Tui MATREM,
quanquam potiorem Tui partem,
publicam æstimationem ac amorem reliquisti.
Quæ Redux egisti,
non digero in Digestis, Pandectisq;.
Patent hæc & sine minus conscio teste.
Annis sexdecem
Juris Utriusq; PROFESSOR,
totum illius Corpus
vivâ animabas doctrinâ.
Dilexisti justitiam,
quæ de Cœlo prospexit,
geris exinde semper Divinis intentum animum.
Ecclesiarum,
S. NICOLAI ad Cracoviam PRÆPOSITUS,
in Modlnica CURATUS,
agis, aisq;,
quæ veri sunt Pastoris,
non in Vinea CHRISTI mercenarii.
Pascis

Paſcis oves Tibi concreditas
& Verbi Divini eſcâ,
& optimarum virtutum alimentô.
Tuas ſine decore eſſe Sponſas,
non potes ferre,
indies majorem procuras illis,
internum externumq; ornatum.
Accedente gratia,
Illuſtriſſimi ac Magnifici Domini
in Łetow
STANISLAI ŁETOWSKI,
PATRONI & COLLATORIS Digniſſimi,
MECÆNATIS ac BENEFACTORIS munificentiſſimi,
Viri,
de Ecleſia; Patria, Literis ac Literatis,
plus quàm meritiſſimi,
Qui ſingulariori æſtimatione. affectuq;
Te ſibi appretiat & æſtimat,
ab ipſis fundamentis
Modlnicenſem erexiſti Eccleſiam,
copioſiori Dote auxiſti
ác pretioſa ſupellectili dotâſti.
In Sacra Divi NICOLAI Ӕde,
Tuæ in Superos, Superûmq; Aras,
ſunt pathetica monumenta
Praxitellis celtê elaborata,
Apellis penicillò depicta;
hæc quoniam omnium ſubjecta ſunt oculis
ad illa viſenda remitto.
Ad Regni Comitia ac Proſſovienſem Congreſſum
ab Univerſitate LEGATUS,
rerum Academicarum extitiſti Propugnator,
monſtrâſtiq; quomodo Filii debeant pro Matre zelare.

Plura sunt, quæ hìc non allegantur Merita;
quia in enumeratione eorum
spiritus deficit Oratorius.

Ergo

à Præcelso Genere habens calculum,

præcedente erudita virtute,
interveniėntibûs amplissimis Meritis,
scande jam Supremum in Utroq; Jure Gradum:

Recipe parata præmia, è manibus

Magnifici, ac Reverendissimi Domini

M. STANISLAI MAMCZYNSKI,

Utriusq; Juris DOCTORIS & PROFESSORIS, Ecclesiæ Cathedralis Craccov: CANONICI, Universitatis nostræ, RECTORIS, ac PROCANCELLARII Dignissimi:
Cujus de Republica Literaria, Merita,
requirunt fastos
& ea ventura loquetur posteritas,

Habes Librum,

quia non uni ætati legenda gessisti.
Offertur Tibi Annulus,
ad quem Gentilitiæ volabant SARISSÆ
Doctorali in Utroq; Jure Honori
applaudunt Utriusq; Status Proceres.
Gratulatur sibi Diva Themis,
jam probatum per trinas Instantias Virûm.
Cui & ego ab antiquo obstrictus
ex devincto pectore addo votum,
ac fatis exceptionem pono, à vitæ longævæ

PROCESSU.